



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

29. An excommunicatus nulliter teneatur abstinere à communione
fidelium, & ab aliis prohibitis? Ex p. 5. tract. 9. r. 26.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

prohibita sunt in occulto, quia ista poena non indiguntur ab homine, sed à jure violanti præceptum; sed in occulto, ut dictum est, non obligatur, ideo poena non habet locum. Difficultas verò consistit, si talis excommunicatus violet censuras in publico, & Valq. cum Turriano *locis citatis*, docent talem revera incurere irregularitatem, & alias poenas juris, quia illæ assignantur à jure pro his, qui violant præceptum judicis, prædictus tamen excommunicatus revera violat, quia in publico tenetur obedire. Sed P. Suarez *sect. cit. art. 2.* censet istum re vera non esse irregularem. Primum, quia iste revera non est excommunicatus. Secundum; quia poena ista imponitur à jure non incurritur propter actum, nisi sit perfectus in sua specie, qualis non est hic, quæ argumenta faciliem habent solutionem.

4. Ad primum dicendum est illum esse excommunicatum hoc sensu, ut teneatur obedire præcepto judicis, qui præcipit secundum allegata & probata.

5. Ad secundum violationem hujus præcepti, ob quam imponitur prædicta poena, perfectam esse in sua specie.

6. At his non obstantibus sententiam negativam quam docet Suarez, probabilem esse puto, quam etiam tenet Ioannes Præpositus, insignis Theologus Societatis Iesu, ubi *suprà* n. 65. ubi sic asserit: Dixi eatenus teneri, quatenus est necesse ad tollendum scandalum, quia si nullo modo posset exercere functiones per censuram prohibitas sine scandalo, & quin censureretur potestas Ecclesiastica contemni, eas obire non posset, unde non potest hujusmodi actiones exercere coram iis, quibus non constat de invaliditate censuræ, non tamen propterea incurrit irregularitatem, quia non obligatur ad id præcisè ratione censuræ, secundum se spectatæ, sed quodam modo per accidens, ne potestas Superioris censetur contemni. Ita Præpositus, & ego. Et hanc opinionem probabilem esse fatetur ipsemet Turrianus *loco citato*, qui tamen optime addit, quod talis propter violationem censuræ in publico factam puniretur revera, ut violator censuræ, & habebitur ut irregularis. Ex dictis infert Præpositus absolute communicantem cum tali excommunicato incurere poenas juris impositas cum excommunicato; sed hoc limitat ex Valquez Turrianus, quando excommunicatio fit in occulto, secus autem in publico, & addit Præpositus, *num. 66.* talem excommunicatum apud Deum non privari suffragiis communibus Ecclesiæ, sed hoc dictum est suprà, & de hac tota questione, quando casus acciderit, ne deseras recognoscere Gordonum in *summ. tom. 1. lib. 7. c. 6. cap. 3. n. 11. & sequent.*

RESOL. XXIX.

An excommunicatus nulliter teneatur abstinere à communionem fidelium, & ab aliis prohibitis? Ex part. 5. tract. 9. Resol. 26.

AD hunc casum respondet negativè ex multis Theologis, insignis ille Iuriconsultus Ludovicus Mexia, & quia Codex non invenitur, ponam per extensum ejus verba, sic enim ait in leg. Regiam Toleti sub tit. de los propios y rentas de los Conjes, part. 5. *fundam. 2. n. 28. & segg.* Sententia nulla jus non tribuit, quodque nulliter factum est factum non censetur Clement. *pastoralis, de re jud. & Corneus explicat in consil. 325. incipien. Prima facie videtur. 3. col. n. 1. vol. 1.* & novissimè quasi sub eadem casus specie, Martin. ab Azpiscueta Navarrus (præceptor olim meus Salmanticae) vir ingenij acuminis ac varia doctrina præcellens, in prælectio. cap. cum contingat, *Tom. V.*

de *script. remed. 3. pag. 160. cum segg.* secundum meam impressionem, scribens etiam ibi plurium allegatione jurium Canonistarum & Theologorum sententiam excommunicationis, quæ aliqua de causa est nulla, timendam non esse *c. cui, & c. non debet. 11. q. 3.* ubi Greg. Non debet, inquit, is poenam sustinere, canonicam, in cuius damnatione non est canonica prolata sententia. Firmans idem Martin. *ibid.* auctoritate Paludani (Theologorum omnium hac in re doctissimi) in 4. *distin. 18. q. 3. col. 3.* & Anton. Archiep. Florent. in 3. *tit. 24. cap. 73.* excommunicatum nulliter denunciatum publicè non teneri abstinere à Divinis, neque ab alia hominum communicatione legitima, modò nullitatis causa publicata fuerit per eum. Quibus non obstat Angel. de Cava. in *verb. excommunicatio 4. §. 19.* qui casibus quindecim paulo antè ab eo relatis, quibus excommunicatis ipso jure est nulla, quorum undecim ponit gloss. singularis post Ioan. Monach. in *cap. presenti, de sententia excomm. lib. 6.* subijcit hæc verba: In omnibus prædictis casibus sententia excommunicationis nullo modo est timenda, nec quoad Deum, nec quoad Ecclesiam, quando notoriè constat de aliquo ipsorum: Sed quando non constaret, tunc quoad Ecclesiam esset timenda, & ipsam contemnens peccaret mortaliter, & posset excommunicari. Hoc enim ejus dictum, dum de notorio loquitur, intelligi non debet eo modo, quo notorium capitur in *cap. vestra de cobab. cleric. & mul.* ut ibi definit Anton. *n. 31.* nec idem accipitur in *cap. fin. de tempor. ordinand.* Sed in genere pro eo, quod est manifestum, hoc est, secundum Panorm. in *d. cap. vestra num. 13.* per clamorosa insinuationem certo auctore præcedente patefactam. Alioqui Angel. contrarius esset Paludano, & D. Antonino, imò & prædictis juribus, quod non est credendum. Unde plusculum vigilantia desiderari potest in Sylvio; mea sententia, alias vigilantissimo in *verb. excomm. 2. notab. vers. 13.* qui relatis & probatis antedictis verbis Paludani, subijcit hoc Angel. dictum ad verbum, eo non citato, nec aliter verbis ejus temperatis, quæ tamen erudito, & in materia notoriè exercitato, contraria meritò videri possunt. Et diligentior mihi videtur Gabriel (vir omnium consensu doctissimus) qui in 4. *dist. 18. q. 2. col. 11.* aliàs in omnibus in hæc verba, quæ ad nostrum quoque thema spectant, loquitur: Si verò excommunicatio fuerit nulla ob defectum jurisdictionis super excommunicatum simpliciter, vel in illo casu quo fertur excommunicatio, vel quia fertur post appellationem legitime interpositam, vel ob alium defectum, propter quæ ipso jure est irrita, tunc non oportet eam timere, nec pro excommunicato agere, seu gerere, vitando communionem Sacramentorum & hominum, quoniam quod non est, non oportet timere: sed dum sententia est nulla, jam non est excommunicatio, nec quoad Deum, nec quoad Ecclesiam, quia secundum veritatem nullam sententiam juris incurrit, qui sententiam, quæ nulla est, non custodit, timenda tamen est, non sententia, sed scandalum populi vulgaris, nescientis sententiam esse nullam: unde si aliquis publicè excommunicatur, & denunciatur nulliter; ex adverso publicet ipse sufficienter causam, propter quam sententia est irrita, quo facto non pareat sententia, & si aliquis tunc scandalizatur, non est scandalum pusillorum, sed Phariseorum secundum regulam Christi *Matth. 18.* contemnendum. Attamen non tenetur, eam servare in occulto ante scandali sedationem, sed neque in occulto, nec in publico coram sapientibus, quibus nota est nullitas sententiæ tenetur eam observare. Hactenus ille. Cujus, & aliorum sententias curiosus hic retuli quod res hæc quotidiana sit, & nostro proposito maxime conveniat. Et hæc omnia docet Mexia ubi *suprà.* Licet contrarium

contrarium asserat Ioan. Valerius in *differ. utr. fori, verb. excomm. differ. 8. per tot.* quem omnino quando casus occurrerit, videbis. Sed cum Mexia tenet Gutierrez. *can. 99. lib. 1. cap. 4. n. 36.* ubi firmiter docet sententiam excommunicationis nullam non esse timentam nullitatis causâ publicatâ, & ita etiam docet ex Valq. Turrian. *de cens. lib. 2. disp. 20. dub. 1.* ubi sic ait: Si de excommunicatione nulla sit sermo, omnes fatentur revera nullum habere effectum; sed propter scandalum observanda est in publico, donec veritas manifesta sit: quod si ante manifestationem veritatis excommunicatus publicè se ingerat divinis, peccabit, nullam tamen poenam juris incurrit ipso facto, cognita tamen veritate nullum erit scandalum illam non observare. Docuit verò Sylvester *verb. excomm. 2. notabili 1. cas. 15.* P. Vasquez *sup.* cum aliis Doctoribus satis esse, ut excommunicatio sit nulla, quod ita iudicetur à sapientibus, neque est necessarium, ut vulgus ita iudicet. Bene autem notavit P. Vasquez necessarium esse, ut antequam quis operetur contra illam, manifestetur vulgo iudicium sapientium, hoc enim condonandum est ignorantia proximi. Sic ille.

RESOL. XXX.

An qui probabiliter iudicat sententiam excommunicationis esse nullam, teneatur se abstinere, & incurrat poenam juris? Ex part. 5. tract. 9. Resol. 29.

Sup. hoc in ref. seq. & inf. in ref. 121. & in tom. 9. tr. 2. ref. 207. §. Et tandem.

§. 1. AD hoc dubium satis quidem practicabile respondet Vasquez *de excomm. dub. 11. n. 23.* ubi sic ait: Restat ut dicamus de sententia illa, de qua probabiliter dubitatur, an sit valida, vel non: & de hac dicendum est, quod docuit Sotus quod in dubiis pro iudice ferente sententiam iudicandum est, & ita tenentur parere sic excommunicati, tam in exteriori hominum convictu, & apparentia, quam in occulto, quia iudicandum est pro iudice, quod sit valida, & si contra quis fecerit incidit in omnem poenam à jure stabilitam, quod licet non dicat Sotus, mihi tamen consequenter videtur dicendum, quia jam est peccatum inobedientia etiam in occulto contra sententiam excommunicationis. Nihilominus adhuc mihi videtur, quod poenâ, quæ sunt ipsamet excommunicatio, & ipso facto quod quis excommunicatur, incurrunt, non incurrunt in hoc casu, nisi in rei veritate valida sit sententia; quia si in re non est valida sententia: ergo neque excommunicatio, ergo neque poena quæ est excommunicatio, & in hoc verum habet dictum Navarri & Cajetani, quod in exteriori foro ille talis reputabitur inhabilis, vel ad eligendum, vel ut eligatur. Et ita hanc sententiam docet etiam Turrian. *de cens. lib. 2. disp. 21. dub. 3.* & ne deseras videre Villalobos in *sum. tom. 1. tract. 16. diff. 11. n. 7.* ubi sic ait: [Si el juez pone censura siguiendo opinion probable, ligará, aunque segun otra sentencia sea nula, y no puede el subdito hazer contra ella, aunque sea de opinion contraria.] Ita ille, quod est valde notandum à iudicibus laicis, quando excommunicantur ab Episcopis, licet pro se habeant opinionem probabilem.

Sup. hoc in ref. 3. not. præterita & in eodem §.

RESOL. XXXI.

An excommunicatio liget, quando pro subdito adfit opinio probabilis in contrarium?

Et resolutio huius dubij multum pendet ex illa difficultate, an obedire debeat subditus Superiori præcipienti iuxta sententiam probabilem? Ex part. 9. tract. 9. & Misc. 4. Resol. 46. allas 45.

§. 1. NEGATIVAM sententiam nominatim contra me Sup. docet eruditissimus P. Stephanus Spinula *in Opuscul. de Elect. opin. disp. ultim. sect. 4. per totum.* Probat hanc sententiam ex cap. 1. de postulatione Prælatorum, quem textum (ait) sic induco. Damnat Pontifex Episcopum Altrifiodorensis, qui in sua Diocesi non servaverat interdictum fulminatum à Legato Papæ, licet se excusantem, quia non fuisset in sua Ecclesia promulgatum, quia nullam sufficientem excusationem adhibebat, sed omnia erant frivola, quæcumque adducebantur; quia satis superque illius interdicti ad illum fama certa pervenerat: quin in sua Metropolitana Ecclesia tale interdictum fuerat promulgatum, & servatum. Ex quo subdit Pontifex: hinc liquido constat eum non posse excusari. Ergo à contrario, cum quis potest sufficienter excusari, non est damnandus, nec incurrit poenas violatæ obedientia, & censuræ Ecclesiasticæ, quam non tenetur timere, quia illa non afficitur. In tantum enim Episcopus Altrifiodorensis dicitur debuisse servare interdictum, quia nullam excusationem sufficientem poterat asserere, quare non teneretur, & illo non afficeretur. Et quidem de hoc liquido constabat; unde tanquam reus violatæ obedientia, & non servatæ, quæ afficiatur, damnatur, & punitur in eo capite; ergo à contrario, qui excusationem habet sufficientem, non afficitur censura, nec illam tenetur servare, seu se gerere ut illa affectum.

2. Modò subsumo, sed in casu opinionis probabilis, & sufficiens excusatio datur, nec liquido constat, quem teneri, seu affici censuræ, & illa non afficitur.

3. Secundò: quia ignorantia invincibilis præcepti validi, & censuræ adnexæ præcepto verè ligantis, excusatur à præcepto, & censuræ; sed in casu opinionis probabilis hinc & inde est ignorantia invincibilis, quod præceptum liget, & censura sit valida: ergo tunc hæc excusatur quemque ab obedientia præcepti, & incurfione censuræ. Major est evidens, quia est omnium iurium, & Doctorum axioma. Minor probatur. Tunc est ignorantia invincibilis rei, quando res ignoratur, nec quis potest, aut debet certiorari; sed quando concurrunt opiniones hinc, & inde probabiles, qui ignorat veritatem, ita ignorat, ut forte absolute non possit scire veritatem; quia absolute impossibilis est demonstratio, seu evidens cognitio rei: sane non debet aliud efficere, ut inveniat veritatem, cum in probabilis opinione tutò quiescat, nec debet ad ultraiora progredi, ergo tunc est ignorantia invincibilis, quæ excusatur ab omni poena, & ab omni culpa.

4. Tertiò: quia excommunicatio non incurritur sine contumacia, & inobedientia, quando Ecclesiæ quis parere debet; sed quando utrinque sunt opiniones probabiles, eligens quæcumque non est contumax contra Ecclesiam, nec inobediens est, cum parere non teneatur, cum non sit certum tunc præceptum obligare, sed hoc fit sub opinione positum: in quo casu quælibet opinio in praxim deduci potest, nec ullum peccatum incurritur inobedientia, & contumacia, quæ supponit in subdito debitum parandi: quod in subdito non est, quocumque in superiore non est jus certum præcipiendi, quale non est, cum sit probabilis opinio, quod non sit: ergo cum subditus non teneatur obedire, si non obediatur, nec inobediens, nec contumax est, & per consequens corrumpit etiam censuræ: tum quia hæc non incurritur sine speciali contraventione, & violatione præcepti, cui certo parendum sit.

5. Et hic advertite, quod licet non sit sub opinione, censura sit valida, necne, sed solum sit sub opinione, hinc, & inde verè probabilis, quod id, quod prohibet Superior,